

S

H

B

S

Handwritten text in Gothic script, appearing to be a list or index of names or terms, possibly including 'H', 'B', and 'S' as part of the entries.

Handwritten text in Gothic script, appearing to be a list or index of names or terms, possibly including 'H', 'B', and 'S' as part of the entries.



Rep. LXXV.

T.

no. 15.

180/3

DISPUTATIO I.
COLLEGII THEOLOGICI
STUDIOSÆ IUVENTUTIS
AD GYMNASIAN

Sextum aperti

In quâ Cui X^o 1750

Preside

CHRISTOPHORO PE-

LARGO D. Generali totius

Marchiæ Superintendente

Respondentis partes tuebatur

MARTINUS SCHIMBARSKY

Plesnensis Silesius.

Anno

CID, ID, CIII.

Seit in den Bibliothek Sammlungen Hertzogin Berol. St. Bibliothek.



Francofurti ad Oderam

Typis

NICOLAI VOLTZI.



Sammlung

4

Illustrac Generoso

DOMINO,
DN. ABRAHAMO
L. BARONI A PROMNITZ
IN PLES, SORA, TRIE
BEL &c.

PATRI PATRIÆ


Domino suo clementissimo

Theologicam hanc de Theologiâ
αὐθιτικῆν

*In devota subjectionis & grati ani-
mi tesseram*

Submissè dicat & offert

MARTINUS SCHIMBARSKY
Respondens.


Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Leetissimo ingenio

DN:

MARTINO SCHIEMBARSKY

In Theologiâ de Theologiâ disp.

MARTINUS SCHIEMBARSKY

ἀναξαρχαμικῶς. κ. in C.

EN! RAMUS CHRISTI MICABIS.



Ertur diebus Dls Plato singulis

Litâsse grates ob tria; masculus

Quod natus, haud fœmella; Græc^o,

Haud alienigena; & disertus

Ætate degat Socratis. Ob tria

Potiora si non, herclè simillima

MARtine grates quotidiebus

Ire Deo, scio, Te litatum:

Homo quod creatus, non fera bestia;

Factusq; CHRISTI RAMUS, adulter haud

Stolo; Suadelamq; Magni

Theologam audieris PELARGI.

MARtine Tecum quis quoq; non idem

Grates Deo persæpè litaverit?

Tam magna, quis majora non sint,

Attinuisse reapse, magnum est.

MARtine crebrò talia ruminans

Involve Te Virtute tuâ: viden

Tua fata? CHRISTI RAMUS ECCE!

Inq; solo, inq; polo MICABIS.

Collega & amico lubentissimè

MELCHIOR AGRICOLA

Lubenus SIL, POETA.

ALIUD.

ALIUD.

Per laudes non ibo tuas MARTINE; sat esto
Si dicam; Es bonus, & natus ad omne bonum.
Eusebiè, Euphrosynè, Euepiè, decoraris; & hoc est
Quod dixi; Es bonus, & natus ad omne bonum.
Credo sibi laudes LAUS tales posceret ipsa;
Dico tamen; laudes non numerabo tuas,
Eusebie, Euphrosyne, Euepie, Triga alma Dearum
Pergite MARTINUM condecorare meum,
MARTINE studiis operate salubribus, insta
Et sequere Eusebien Euepienq; cole,
Eusebie, Euepièq;, Tibi jam ferta pararunt
Cras feret Euphrosyne crinibus illa tuis.

Collegæ ac Amico verè suo scr.

Iohannes Güntherus Olsnens, SIL

ALIUD.

Quale Tibi ingenium, MARTINE, sit, undiq; notum,
Ingenij & Genij quàm valeasq; bonis.
Miratur qui Te transtantem Musica cernit,
Seu modò voce canas, pleetraq; seu moveas.
Quacundq; aggredieris feliciter omnia cedunt,
Et redit ad laudes actio quæq; tuas.
Sed nihil hæc, nihil hæc; Divini Svada PELARGI
Efficit egregijs artibus ut clueas,
Præsides respondes dum Tu MARTINE PELARGO,
Hoc sub Deologas dum meditaris opes.
Claresces olim: (liceat mihi vera fateri)
Gratus eris Doctis; Gratus eris Patriæ.
Pergere perge modò; Nam sic si pergere perges,
Cultum ita Te quondam Patria culta colet.

Veri ac fraterni amoris ergò Collegæ suo f.

Samuel Hentzner Sternber

gensis Moravus,

FINIS.

DISPUTATIO I.

Περὶ τῆς Θεολογίας.

Respondente MARTINO SCHIMBARSKY Plesn. Sil.

THESIS I.

Inter omnes Scientias, Matheses, & disciplinas, supremum deberi locum Theologiæ, nemo est, ne quidē inter saniores Ethnicos, qui unquam dubitarit: quamobrem πρώτων Φιλοσοφίας Aristot. nominavit eiusq; perfectionem celebravit lib. 1. cap. 2. lib. 2. cap. 1. lib. 3. cap. 2. Alij dixerunt sapientiam quia est propriissimè sapientia de altissimâ causâ & per altissimam causam sive per reductionem & respectum ad ipsum DEUM dirigenda omnia dirigit, ut docuit Abulensis quæst. 2. in 4. Deut.

I I.

Variæ autem eius semper constitutæ sunt finitiones inter ipsos eius etiã Professores: alij scientiam definiunt veritatis de DEO ad rectè beateq; vivendum: alij prudentiam religiosam ad salutem perveniendi: alij κατ' ἐπίνοιον scientiam scientiarum principem omnium & reginam cui artes cæteræ tanquam pedissequæ famulentur: quæ definitio est in compendio Theologica veritatis Bonaventuræ.

III.

Hanc omnium scientiarum secundum naturam antiquissimam & primam, sed acquisitione postremam contendit esse Carolus Bovillus eamq; humanis

A

discis

disciplinis consonam esse vult, quatenus non nihil & definit & dividit & demonstrat, & ad eas eo fere se habere modo ait, quo principia ad conclusionem lib. 1. Theologiarum conclusionum pag. 4. & 5.

IV.

Verum cum Theologia juxta Nazianzenum non sit *τεχνολογία*, non *τεχνύδριον* sed *μυσήριον*: non necesse est vel ad artes revocare alias, vel comparisonem inter eas instituere, vel artificiosam etiam conquirere atq; exstruere eius finitionem. Satis sit dixisse, quod juxta *τὸ ἔτοιμον* sit λόγος sermo vel oratio de DEO eiusq; operibus: sive *ἀποκάλυψις*, revelatio quaedam cum essentiae & voluntatis divinae tum admirandorum DEI operū.

Sic Augustin.
lib. 9. de Ci-
vit. DEI c. 1.

V.

Quod Lutherus sincerissimam Theologiam nihil aliud esse dixit quam crucem tom. 2. lat. pag. 79 & 4 tom. pag. 126 professionē sanctae crucis: adjunctū eius perpetuum dubio procul respexit & *πεῖρα* verè Theologicam: hæc enim, inquit, alibi practica requiritur. Crux quæ redigar carnem in nihilum &c. vide Psalm. 124. & 2. tom. lat. pag. 57. ubi vivendo ait moriendo & damnando fit Theologus &c.

VI.

Divisiones eius quod attinet: apud Dionysium alia dicitur Symbolica arcana & mystica: quæ figuratis vocabulis explicat divina: sive sub sensum cadant: sive sub intellectum, ut cum de DEI oculis, auribus, manibus vel furere & ira eius dicitur: alia demonstras quæ divina explanat verbis propriè usurpatis. Apud recentiores dividitur in Positivam & Scholasticam: Positiva est quæ in Scripturæ sensu explicando & eliciendo

ciendo

ciendo in primis occupatur. Scholastica est quæ versatur in quæstionibus & disputationibus quam nimis quondam invaluisse queritur D. Lutherus.

VII.

Mittimus divisionem eius in Divinam Angelicam & Humanam: quarum priores nulla præcurrat naturalis ignorantia, Humana verò priorem habeat ignorantiam, & ex tenebris demùm in eminentissimam lucem ascendat: item Theologiam in se & in nobis, quarum illa notitia de DEO talis sit & tanta, qualem & quantam objectum Theologicum possit causare in intellectu sibi proportionato sive divino: hæc verò talis & tanta qualem & quantam nos de DEO habere queamus. Nobis *noxijs* una est illa quæ scriptis Prophetis & Apostolicis comprehensa & divinitus patefacta est.

VIII.

Quod tamen Damascenus & veteres alij cum Dionysio Areopagita duplicem faciunt Theologiam: Affirmativam & Negativam: sciendum est strictiore vocis significato doctrinam de DEO eiusque attributis intelligi, quæ ipsi vel affirmando: ut quod omnipotens, quod iustus, quod misericors, quod æternus, quod Spiritus: vel negando quod increatus quod infinitus, immensus, incorporeus, illocalis, impervestigabilis & incomprehensibilis, ascribuntur.

IX.

Subjectum Theologiæ propriè est DEUS ille *ὑπερῶν* Ens supra omne ens omniumque entium causa: Deinde Angeli & homines non simpliciter, quæ *ἵνα* sed quatenus ad finem ultimum nempe beatitudinem, &

A 2

tem, &

rem, & creati, & destinati ac confirmati, velut Ange-
li & reparati sunt velut homines: Iuxta D. Lutherum
propriū Theologiæ Subjectum est DEUS justifi-
cans & homo peccator. Huc enim abeunt omnia: ut
DEUS hominem sponte sua prolabentem in peccata
misericorditer in gratiam recipiat & propter CHRI-
STI meritum atq; intercessionem justitiā donet & sa-
lute. Verba Lutheri tom. 4. pag. 379. Theologiæ pro-
priū Subjectum est, homo peccati reus & perditus:
& DEUS justificans & Salvator hominis peccatoris.
Quicquid extra hoc Subjectum in Theologia quarit-
tur ac disputatur error est & venenum.

X.

*Distincti. I.
lib. I.*

Non ergo morabimur Scholasticos contendentes de Subjecto & nunquam ferè convenientes. Magister enim Sententiarum censet subjectum esse res & signa: Occam & Gabriel nolunt Unum esse quoddam adæquatum, sed tot subjecta quot res, de quibus conclusio inferri potest theologicè. Gregorius Arminensis & Ægidius statuunt Subjectum esse DEUM ut glorificantem sive ut remuneratorem. Linconiensis totum subijcit corpus CHRISTI mysticum una cum suo capite sive CHRISTUM & Ecclesiam: quæ sententia à Scoto etiam tribuitur Cassiodoro. Thomas Subjectum Theologiæ facit DEUM omnino ut DEUM sine ulla ratione, ut interpretes loquuntur attributali. Hugo de S. Victore operæ reparationis humanæ sive mysterium redemptionis nostræ. Durandus DEUM ut Salvatorem: ne infinitos adducamus alios inter se insigniter discordantes.

Principia

XI.

Principia Theologiæ quod attinet non illa sunt vel ratio vel λογικὰ ἐπινοιαὶ vel πραγμῆσεις vel quæ alibi valent κριτήρια, quæ his nec adhiberi debent nec possunt; sed eæ duntaxat φανερώσεως patefactiones vel revelationes quæ continentur verbo scripto.

XII.

Valeat hic numerus & cumulus ille Principiorum quem aggregat Iesuita Hispanus (Gregorius de Valentia) qui præter verbum DEI scriptum disputat. 1. quest. 1. punct. 5. etiam auctoritatem traditionum Apostolicarum sive verbum quod vocant non scriptum: auctoritatem item summorum Pontificum, Conciliorum Oecumenicorum: consensum doctorum Ecclesiasticorum: communem fidelium consensum, veritatem denique naturaliter certam & evidentem pro principijs vult agnosci.

XIII.

Quod nos tuemur Unicum vel Canonicum est vel Apocryphum. Canonicum nominamus quod pro Canone aut Regula fidei extra omnem controversiam recipitur: quales sunt libri illi Veteris & Novi Testamenti de quorum auctoritate nunquam Ecclesia dubitavit. Apocryphum verò non eiusdem pariter dignitatis est & ponderis, cum de autoribus non certo constet nec inde quæ sunt fidei dogmata ἀναποδείκτως probari queant: tamen si etiam suum præstet Usum, si ve in moribus si ve in alijs ad pietatem conferentibus.

XIV.

De numero si quæras Canonicorum librorum, communi Ecclesiæ consensu juxta Ebraeos 24, juxta alios

A. 3;

alios

alios 39. colliguntur, & quidem in Veteri Testamento, quibus adduntur meritò omnes illi aut historici aut dogmatici qui sunt Novi Testamenti. Apocryphi in univèrsum fuerint 12. nempe Sapièntia Salomonis: Ecclesiasticus: Iudith: Tobias: Tertius & quartus Esræ: Baruch: Supplementum libri Esther: Oratio Manasse: Supplementum Danielis: libri Maccabeorum.

XV.

De quibusdam tamen Novi Testamenti libris ambigi solet, sint ne in Canone Ecclesiastico, an verò pro Apocryphis habendi: quemadmodum de Epistola Iacobi, & ea quæ Ebræis inscripta est, suo quodam censuit iudicio Lutherus Epistolas non esse Canonicas. Ubi si quis contrarium certis defendat rationibus, nec temeritatis nec hæreseos ullius anquiri justè poterit. Certè si ostendatur nihil inesse illis *ἐπιπόδοζον* sive quod adversetur regulæ & normæ fidei bonorumq; operum: sed potius *τὸ αὐτὸ σιχῆν κανόνι*: ut Paulus ad Philip. 3. vers. 16. loquitur: non video cur à Canone excludantur.

XVI.

Ineptissimè ergò Pontificij parem omnibus scripturæ libris fidem autoritatemq; arrogant, & frustrâ ad revelationes novas vel potius cerebri humani somnia struenda, quorumvis promiscuè testimonijs tanquam *αὐτοπίστοις* utuntur: quemadmodum nuper in Colloquio Ratisbonensi non erubuerunt eructare, pro fidei articulis omne id habendum, quod literis etiam apocryphis consignatum legas. Verbi gratia fidei articulum esse, quod Tobiaë canis caudam movisse scribatur; & quæ absurda alia isthic observata.

De fine

XVII.

De fine non omnes concordant. Sunt qui contemplationem DEI ultimum statuunt finem: Sunt qui cognitionem rerum Spiritualium summam: Sunt qui actiones cum voluntate DEI congruentes sive pietatem ipsam. Sed breviter finis ultimus est DEI gloria; respectu nostri, beatitudo, quam consequemur in cœlesti vita: in his autem terris conjuncta cum operibus sive factis voluntatis divinæ cognitio: aut fidei & caritatis exercitatio, siquidem non auditores tantum sermonis sed & operatores nos esse oportet, Iacob. 1. v. 22. vel juxta Bernhaldi de ordinatione vitæ pronunciatum, verba ipsa vertenda sunt in opera.

Rom. 1. v. 21.

Iob. 20. v. 31.

XVIII.

Unde facile liquet Theologiam simpliciter non annumerandam esse scientiis theoreticis sed in primis practicis: siquidem $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\varsigma$ & non nudam à nobis requirit theoriā, qua de re vide Thomam part. 1. quaest. 1. quanquam ille speculativam magis esse argutatur in conclusione articuli 4. cum ex sententia Gregorij Ariminensis simpliciter practica esset dicenda: siquidem in dilectione DEI & proximi, universam legem & Prophetas esse positos, CHRISTUS ipse affirmat Matth. 22. & Apostolus Scripturam $\theta\rho\acute{\nu}\mu\epsilon\upsilon\sigma\omicron\nu$ utilem esse ait ad docendum, ut homo perfectus sit, ad omne bonum opus perfecte instructus 2. Timoth. 3. v. 17.

XIX.

Huc referri possunt sententiæ quædam Augustini & Gregorij Magni. Sic enim Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 11. omnium, quæ dicta sunt
[hæc sum]

hæc summa est, ut intelligatur Scripturarum divinarū plenitudo & finis esse DEI dilectio: & lib. 2. cap. 27. Scripturarum divinarū studiosus nihil aliud in eis est inventurus quā diligendū esse DEUM propter seipsū, & proximum propter DEUM. Gregorius autem homil. 10. super Ezechielem ad hoc solum nobis DEUS per Scripturam loquitur, ut nos ad sui & proximi amorem trahat.

XX.

Et hic Theologiæ finis quem non tam in contem-
plando quā agendo & operando situm esse pronun-
ciamus, in altera etiam durabit vita, quando DEUM
non solum visuri sumus, sicuti est 1. Ioh. 3. v. 2. à facie
ad faciem, 1. Corinth. 13. v. 12. Sed eundem quoq; in-
tegrè dilecturi & complexuri caritate nunquam exci-
dente 1. Corinth. 13. v. 8.

Ζήτημα.

I.

An utraq; Magistra à DEO Natura & Pro-
phetia & an uno nos modo instruant de DEO?

II.

An Theologia Scholastica dicta hodiè sit co-
gnoscentia, cum iam pridem à Dn. Luthero fuerit
damnata?

DISPU.

Op. var. 87 m

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

